



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

Ad Ill. V. Ludovicum Henricum Lomenium Briennae Comitem. De Tachylla
equa ab eo venustissimis versibus celebrata. Ode XXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

Versans ; ut calidum obbibet cruorem !
 Unco deinde trahens cadaver ungui
 Auræ ludibrium dabit : vel ipsum
 Formicis , tineisque , vermibusque ,
 Belli materiam gravis relinquet.
 At hoc interea cicada carmen
 Alludens canet. Improba illa musca ,
 Quæ turbaverat omnibus quietem ,
 Nec cum vivere desiit , quiescit.

AD ILL. V.

LUDOVICUM HENRICUM LOMENIUM
 BRIENNÆ COMITEM.

De Tachylla equa ab eo venustissimis versibus celebrata.

ODE XXIX.

ADESTE alipedes equæ quot estis ,
 Seu vos Thracia Thessalæque valles ,
 Seu vos Ausonia Appulique campi ,
 Seu tulit Libye , Tagusve ripis
 Vidit aurifer anteire cursu
 Parentis Zephyri leves volatus :
 Mei cedite Lomeni Tachyllæ ,
 Heri deliciis sui Tachyllæ.
 Cui nec cedere , qui polo gemellum
 Tulit Castora , Cyllarus recuset ;
 Nec cognomine qui sepultus urbe
 Victor sub domini jacet trophæis ;
 Nec qui marmorea superbus aula
 Et præsepibus aureis , tumensque
 In ostro trabeaque , consulares

Tantum non meruit notare fastos
 Cæsaris socius, caputque mundi
 Vidit pene suis regi lupatis.
 Regum dignior est Tachylla amore,
 Regum dignior est Tachylla honore:
 Nam sub quadrupedis tegit figura
 Mentem, quæque potest amore duci,
 Dato quæque potest honore fungi.
 Quippe heri placidos heræque mores
 Dum felix equa discit æmulari;
 Seque dedidicit suosque mores.

Hanc ne tollere mors avara possit
 Æternas memori Brienna versu,
 Quo cani velit Iffa Martialis,
 Et passer teneri jocus Catulli.
 Nam Verona licet, suoque vari
 Favens Bilbilis abnuat fateri:
 Tantum iudice me tibi Catullus,
 Tantum cesserit ipse Martialis;
 Quantum passer equæ & catella cedit.

AD TACHYLLAM POETRIAM,

Cum Tachyllæ nomine versus à nonnullis scripti essent.

ODE XXX.

OHE jam satis est, ohe Tachylla.
 Inepte facis & parum modeste,
 Quæ te vis etiam inseri poetis.
 Hoc nec Pegasus expetivit unquam:
 Quamvis incola municepsque Pindi
 Non semel folium sacræ momordit
 Laurûs, atque suam siticulosis